

Index Disputationum hoc volumine comprehensam

1. De nūmo confessorio.
2. De Annulo pronubo iaculo ringa. et usu computationis graduum. 24 3210
3. De Hierologia.
4. De Triguſculo Kalthimigro linba.
5. De odio Edavū nūphiam.
6. De Poenitentia Ecclesiastica.
7. De Probatione paupertatis.
8. De Principū Germania legationibg.
9. De Philantia.
10. De Molendinis et in specie bannariis.
11. De pecunia pupillari.
12. Res mera facultatis.
13. De Disimulatione occasione l. 14 ff de offic. Praesid.
14. Necessitas Lex.
15. Embesit dicto sine lege loqui.
16. De Sententia.
17. Jus deliberandi.
18. De Precario.
19. De Hystegis.
20. De Rebg derelictis.
21. Evarium militare.
22. De Litio contestatione.
23. Autodican Dabstgüest.
24. De Pallio Episcopali.


Malbrun


17  
Rom


2  
2  
2  
2  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47



25. De Oblatione: sc: pecunia à debitore facta.  
26. Iura finium.  
27. De iure rerū.  
28. De rebz creditis.  
29. De Purgatione morae.  
30. De Lesione pudicitia.  
31. Edificiorū privatorū iura.  
32. De Secretis iudicis Westphaliae.  
33. De infamatione eiusq poena in civitatibz.  
34. De Contractu Societatis Eboracensis.  
35. De iure Arborū.  
36. De interventione tertij.  
37. De Clausulis concessionū Principum.  
38. De Conatu.  
39. De Crimine maleficij Zauberry.  
40. De iure Emphyteutico.  
41. De Libello.  
42. De Privilegiis Clericorū.  
43. De Periculo et commodo in Emptione vini.  
44. De Syndicis.  
45. De casu Inquisitionū iudicariū.  
46. De Restauratione domus ruinosa communis ex l. 4 C. de edif. priv.  
47. De solg bono Advocati.







DIVINA FAVENTE GRATIA,  
*De*  
**JURE RERUM,**

P R Æ S I D E

V I R O

*Magnifico, Præ-Nobilissimo atque Consultissimo,*

**DN. NICOLAO CHRIS-  
TOPHORO LYNCKERO:**

**J**Cto & Antecessore Famigeratissimo,  
Sereniff. Ducum Saxon. Consiliario Splendidissimo, Facul-  
tatis Juridicæ Seniore, Curia item Provincialis ac Sca-  
binatus Assessore Gravissimo:

*Dn. Patrono, Præceptore ac Hospite suo  
aternaturo obsequio prosequendo,*

*publicè in Auditorio Jctorum,*

*die IX. Novembr.*

*disputabit*

**BERNHARD. LUDOVIC. MOLLENBEC,  
RINTELIO-WESTPHALUS.**

*J E N Æ,*

**TYPIS SAMUELIS KREBSI,**

**A. O. R. M. DC. LXXVIII.**



DIVINA HAVENIT GNAIA

JURE REPERTUM

P. R. A. S. I. D. I.

VIR O

DN. NICOLAUS CHRIS  
STOPHON OLYMPICOR

1605 in Ansesthorc  
Societate Dantur Saxon. Condicionis  
tam fideles Sacerd. Cuiusmodi  
1605 in Ansesthorc

DN. NICHOLAI  
OLYMPICORUM

BERNHARD. EUDOVIC. MOELLER  
RINTZELIO. WESTPHALIA

TYPI. SAMUELIS. KREBS.  
A. O. R. M. DC. LXXVII.



# FELICITER!

## APHOR. I.



**R**ERUM distinctionem quandam ad *Naturæ terminos* Jus expendit, quandam ipsum *propriis nominibus* exprimit. Per *illam* Res sunt **CORPORALES**, quæ tangi possunt: quò etiam pertinent *Species seu individua vaga*, ut homo, equus: Tum *Incorporales*, quæ tangi non possunt: à quibus aliæ sunt *Incorporeæ*. Nam *Hereditas* quidem incorporalis, sed non incorporea est. Sunt autem Res **INCORPORALES** *veræ relationes* à jure productæ, nec tantum esse suum habent objective in intellectu.

2. *Corporalium* rerum aliæ sunt **MOBILES**, aliæ **IMMOBILES**. Et quanquam omninò respici debeat, quarum jure *Paterfamilias* res suas *censeri voluerit*; l. 17. §. 7. ff. d. *Act. E. V.* l. 1. ff. d. *T. V. O. leg.* P. Heig. P. 2. Qu. 15. n. 25. seq. & Berlich. III. *Conclus.* 30. n. 22.\* (dummodò hoc in fraudem Legum vel Juris alteri quæsitum non fiat.) Tamen facta ab eo *sola destinatio* pecuniæ ad rem immobilem, velut emptionem prædiorum, (quantumvis certò de illà *constet*,\*\*) immobilem eam pecuniam non facit. *arg. d. l. 17. §. 10. 11. ff. d. act. E. Vend.* l. 41. §. 14. d. *Legat.* l. 55. §. 7. d. *Leg. 3.* Berlich. d. l. n. 4. & Nebelkræ *decis. XI.*\*\*\* Proinde nec secundum *jura loci*, ubi pecunia illa reperitur, in successione *statutaria*, æstimanda est, sed secundum *jura domicili* Defuncti.\*\*\*

\* Ubi quando adibus *ad mercandum extractis* vel eò *specialiter privilegiatis* illatæ *merces* fuerint, eas immobilium jure habendas esse, tradit.

\*\* *Diss. Speidel. Notabil. voc. Fahrende Habe.*

\*\*\* *Contra quàm Christinæus vol. 2. Dec. Belg. 212. n. 5. Gail. 2. Obs. 11. n. 12. & Knipschildus c. 5. d. Fideicom. fam. n. 72. qui*

studiò ampliãdi *Fideicommissi* ad immobiles res plures mobiles traduxit. Etiam si verò quoad *Fideicommissa familiae*, concurrentibus certis circumstantiis, pecuniam taliter destinatam ad res immobiles referri posse, non repugnemus: in *aliis* tamen *Juris Articulis*, ubi par non subest ratio, nec tam habitudo & usus rerum, quàm *qualitas intrinseca* respicitur, diversum statuum est.

\*\*\* *Bened. Carpov. VI. Resp. El. 38. n. 10. seqq.* nisi Testator pecuniam in certo quodam loco remanere voluerit. *Idem Carpz. n. 26. & Dav. Mevius II. Decis. 100.*

3. Pecunia *negotiationi* \*, item *fœnori* vel *cambio* \*\* deputata, nec non *præsidiî causâ* reposita, \*\*\* ùt & *ex re immobili redacta* \*\*\*\*, utiq; mobilis est. Quòd vero illarum rerum aliqua *pro satisfatione* esse possint: ex hoc ad *immobilia* easdem frustra referas. \*\*\*\*\*

\* *Disß. Mantica Lib. IX. de Conject. Ult. Vol. Tit. 3. n. 3.*

\*\* *Ar. Pinell. ad L. i. C. de Bon. mat. Part. 2. n. 45. seq.* Non Obst: *l. 79. §. 1. d. Leg. 3.*

\*\*\* *d. l. 79. §. 1.*

\*\*\*\* *§. H. Pistor. P. 1. Qu. 26. conf.* tamen *Berlich. III. Concl. 30. n. 29.* ubi quoad *jus* in eam pecuniam *succedendi* pro illo pronunciat, qui immobilis rei hæres esse debuit.

\*\*\*\*\* *§. Mev. Lib. III. ad Jus Lub. Tit. 5. art. 5. n. 24. seqq. & in Addit.* ubi de rebus mobilibus *pretiosis*, de *mercibus* in tabernis, & simil. Cur enim non immunis est possessor ejusm. rerum, quando de dilapidatione suspectus est. *Carpov. I. Const. 5. def. 19.*

4. Res incorporales nonnunquam ad corporalium jura trahi, *angustia* vocis *Legislatoria* aut *hominis* disponentis jubet: Secus, & si quando necesse non est, res incorporales ad alteram speciem corporalium referri, (nempe ad res mobiles vel immobiles,) tum utique exclusæ esse censentur: \* *faltim* quòd nihilominus *jura realia* corporibus inhaerentia, \*\* & *ἀχώρητα*, unà veniant, atque sub corporibus illis contineantur:

\* *tanquam genus oppositum.* *Sandius IV. Dec. T. 4. def. 6.*

\*\* *Ant. Fab. ad tit. C. d. Pignor. def. 14. Coler. Decis. 59.*

5. Sed *Reditus* ex re *immobili*, quamvis jam dum *cessos* \*, immobilibus annumerant; modò sint *perpetui* \*\*: *redimibiles* autem referunt ad res mobiles: quòcirca hos in Forenses alienare non est prohibitum, quando vetita est in ipsos immobilium rerum alienatio. Qui verò ex re *mobili* percipiuntur *reditus*, licèt

licet nondum cessi fuerint, tamen rebus mobilibus annumerandi sunt: *Actiones* autem, sive *reales* fuerint sive *personales*, ad rem immobilem competentes, in censu immobilium rerum habentur.

\* Argentoratens. *Vol. 2. Conf. 11. n. 39.*

\*\* h. e. minimum ad decem annos constituti, *ex sententiâ Vvesenbecii Conf. 61. & Capyc. Dec. 24 n. 8.* Quibus tamen nolim accedere, cum *perpetuitas* aliunde estimanda sit.

6. *Partes Metallica* itidem immobiles sunt; sed non etiam *fructus* inde percepti. \* *Pecunia* quoque *hereditaria*, *Erb-Gelder* / ob quam *Fam. Erc.* competit iudicium, ad res immobiles pertinet. Sed *Pecunia pretii* ex E. *Vend. residui*, *Zagzeiten* / ad quod solum *ex vendito* agitur, rebus mobilibus accenseri debet. \*\*

\* Thoming. *Dec. 12.*

\*\* D. Richter. *Sect. IV. d. Succ. ab int. M. 2. n. 28.* Carpzov. *P. I. Const. 8. def. 9.*

7. *JURI* propria distinctio est *Rerum DIVINI & HUMANI JURIS*. *Divini* Juris sunt *Sacræ, Sanctæ & Religiosæ*. *Sacræ* esse definiunt vasa, quæ confracta sunt. *Besold. Diss. de Divis. rer. c. 5.* *Loca* autem *privata* etiam dantur, quæ *sacræ* sunt: & manent *privata* rat. *Objecti & Finis*, seu *usûs*: *l. 9. §. 1. ad L. Jul. pecul. l. 24. de contrab. emt. l. 1. d. R. N. publica* tamen habentur *ratione causæ efficientis*; nec enim *sacrum* est, nisi quod à *Pontifice* consecratum \* fuerit. *l. 6. §. 3. l. 8. ff. d. Rer. Divis. §. 8. Inst. eod.*

\* De veteri ritu consecrandi *6. Alex. ab Alexandr. Lib. VI. genial. dier. c. 14. & de Sacris Roman. Cyriac. Lentul. Lib. II. Apic. Rom. Glor. c. 33.*

8. *Sacræ* non sunt *res*, quæ *Ecclesiæ* dicatæ sunt. Est enim *Dominium* illarum penes *Ecclesiam*, quam repræsentant *Consistoria* \*. Nec tamen *profanæ* sunt, sed quoad usum *mediatum* ex *sacrorum* natura quid participant. Quapropter licet etiam *instruendæ* *conservandæ*q; *Ecclesiæ heterodoxæ* mancipatæ fuerint; non tamen in *profanos* usus converti possunt. *l. 16. ff. d. us. & usufr. leg. l. 72. ff. d. Condit. & Demonstr. Finckelth. Obs. 97.* Carpzov. *ad L. Reg. c. 4. sect. 4. & Hoornbeck ad Bullam Innocentii X. pag. 90. seqq.* (aliter ac in rebus *paganorum* fieri posse constitutum est. *l. 5. l. 9. pr. C. d. pagan. sacrif. & templ.*) nisi quod ex *bonis superfluis*, *res publica* emaciata non refici modò ac re-

staurari possit, verum etiam debeat: \*\* Quis enim non indignè ferret, clerum divitiis turgere, & rempublicam periclitari, quàm sinè tamen Ecclesia subsistere non potest.

\* *vid. Carpzov. Lib. II. Consist. def. 300. ubi de Alienatione.*

\*\* Quin & superflua *templa & cœnobia* ad usum seculo proficuum adhiberi nil vetat: ut frustra indignetur Manzius *ad s. 8. Inst. d. Rer. Div. n. 19.*

9. *Sancti* sunt non tantum *muri Civit. Romæ*, sed etiam *municipiorum*, *Marc. à Lyklama Lib. 3. Membr. eclog. 6.* atque olim in transcendentibus muros, licet Municipales, & *ex levitate*, pœna *capitalis*. *Arum. Disp. I. ad Dig. th. 17.* Nam istud non minus *hostile* habetur. *l. ult. ff. h.* Nunc autem pœna hæc ad *castra solùm & propugnacula* pertinet. *Berlich. 1. Dec. 70.* & quidem si quis *animò hostili* (*Carpzov. 1. Cr. 40. n. 25.*) ea transcendendo vel aliter violet: quanquam etiam pœna arbitraria, (*Menoch. 2. A. f. Q. 483.*) quam nunc violatoribus murorum *municipalium* præstituunt, ad usque pœnam capitis adscendere possit.

10. Licet autem non statim sancta res sit, in cuius *violationem* pœna *capitis* statuta est; velut in *Moneta* patet; Tamen *loca* etiam *sancta* exinde fiunt, quando ne quid in illis suscipiatur, sanctione quadam, capitis pœnam vel aliam graviolem corporalem ingerente, prohibitum est. *l. 9. §. 3. ff. d. R. D.* Interim in ejusmodi privilegiato injuriam realem, quamvis sinè probabili vitæ periculo intentatam, à se, cum effusione etiam sanguinis, amoliri licet.\*

\* *D. Richter. vol. 1. Conf. 20.*

11. *Religiosa res privatâ* quoque fit *authoritate*. *l. 6. §. 4. ff. h.* Sunt tamen etiam apud Romanos quædam *jure & usu publicæ*.\* *Privatæ* autem ne quidem sunt *in commercio*: sed solùm monumentum *purum* vendi, donari potest. *l. 6. §. 1. l. 2. §. 5. & 6. de religios. l. 22. ff. d. contrab. emt.* \*\* *Hodiè* licet sepulchra in locis sacris, vel juxta eadem in cœmeteriis, habeantur, \*\*\* non tamen *sacris* accenseri debent; \*\*\*\* sed omninò adhuc *tertiam speciem* sepulchra illa privatorum, seu fornices sepulchrales, constituunt; saltim quòd si vendi velint, (*v. Carpz. Decis. 289.*) ad alium usum quàm *ad sepeliendum* istud fieri non possit; secus atque in locis puris apud Romanos habebat, licet sepulturæ destinata fuissent. \* velut

\* velut tenuiorum, qui Romæ in suburbanis sepeliebantur. *Conf.*  
de sepulchris illis communibus *Adi. Turneb. IV. Adversar. 26*  
*p. 88. & Kirchmann. d. Funerib. Romanor. L. III. c. 14. p. 432.*

\*\* Ita intellige *P. Aringii*, quæ in *Roma subterranea* habet, Em-  
blemata. *Tom. I. c. 26. n. 24.*

\*\*\* *Conf.* de Sepulchris veterum *Gisb. Voet. P. I. Lib. 3. Tr. 2. Polit.*  
*Ecclesiast.*

\*\*\*\* ne quidem quæ *communis*, & uni alterive familiæ acqui-  
sita non sunt. *6. Carpzov. I. Resp. 86.*

12. Inter res *HUMANI JURIS* aliquæ quodammodo, reliquæ  
*absolutè ad singulos* pertinent. *Ille sunt Communes, Publicæ,*  
*Universitatis.* *Communes* dicimus, quatenus vel *naturâ suâ*  
*in proprietatem describi non potuere*, dum earum usus & frui-  
tio omnibus animalibus necessariò relinquendus fuit: (Etiam-  
si nec *usum* in his talibus, *aère*, v. c. *aurâ, ventis*, in quibus  
nulla libertas utendi est, propriè dixeris:) Vel quatenus *ob*  
*innoxiam*, quæ inde aliis advenire potuit, *utilitatem*, eas  
ad se Gentes propriò jure pertinere *noluerunt*. Unde non re-  
ctè *communes* hæ res *mansisse* dicuntur, tanquam *ex derelicto*:  
quasi videlicet antea omnes occupatæ fuerint *Dominio* quo-  
dam *potentiali*.

13. Sanè *Dominium* illud *Potentiale* æquè figmentum est atque  
illa, quæ multis etiamnum placet, \* *actualis Communio*. Ete-  
nim *primævam communionem* nullam unquã fuisse verius est;  
sive commune dicas, quod cum *proprium universis* sit *pro in-*  
*diviso*, usum singulis communem præbet: sive quod *pro-*  
*prietatis* omninò *nescium*, promiscuo omnium prostat usui.  
Siquidem si *priorem* eligas, quomodo singulis pars aliqua, quæ  
ipsorum jam antè fuit, per occupationem demum acquiri,  
aut quomodo proprietatis per divisionem cœpisse potuit, quæ  
jam antè fuerat? Sin *posteriorem*, falsum est, primum homi-  
nem & deinceps cœteros, *nudam solùm utendi facultatem* ac-  
cepisse: neque eam vel malitia adeò hominum sequiorum,  
ipsave rerum plerarumque conditio & natura admisisset. Itaq;  
nec *discessio* ab ea *communione*, sive *expressa* per divisionem,  
sive *tacita* per occupationem, \*\* *ulla fuit*.

• Et vel ipsi *Seldeno Lib. I. c. IV. & Lib. VI. c. 4. d. Marii claus.*

\*\* quam utramque docet *H. Grot. L. 2. d. Jure B. & P. c. 2. §. 2. ubi*  
*in contrar. Bæclerus.*

14. Num

14. Num vero *occupatione* demum proprietates nata est? Negant hoc etiam, qui *Dominium Potentionale* adstruunt. Enimvero ante *Proprietatem Rerum* nullum datur *Dominium*; datur solum *jus & facultas Dominium rerum acquirendi*: atque sic *Modus* acquisitionis est *Occupatio*: (*Divisio* nequaquam,) sed *Titulus* est concessio illa summi rerum conditoris DEI.
15. Proinde cum *jus occupandi* præsupponat *actu rem nullius esse*. Inde *jus vindicandi*, item *Dominium potentiale*, cum isto occupandi jure stare non potest. Neque enim alium, si is rem, quæ ad me, (*Dominio licet solum potentiale*,) pertinebat, occupasset, ab ea rejicere, illive eam extorquere poteram. Ad quid ergo istud *Potentiale Dominium*?
16. Differt itaque *Communio* illa *Actualis* à *Dominio Potentionali*. Differt etiam ab utroque *jus occupandi* & se *Dominum* faciendi. *Communio* actu facit *Dominos*, etiam quoad *fruitionem*: & quoniam illa *moraliter* in plerisque *impossibilis* est; inde asferitur, ab eâ postmodum *discessum* esse: *exceptis* duntaxat aliquibus tum *rebus*, quæ in *communione* adhuc permanferint, tum *casibus*; velut *famis* aut alterius *summa necessitatis*, in quibus ad *primævam* illam *communione* reverti oporteat.
17. Sed *Dominium Potentionale* *Dominos* facit solum in actu primo, ut tamen *Dominii re ipsa* quoad *proprietatem* sint: (*solâ* deficiente *possessione*, quâ quidem qui *communione* rerum tenent, & ipsi *communem* habent: ) *jus* verò *occupandi* solum confert *facultatem* *Dominium rerum* per *occupationem acquirendi*: eamque non solum *primum hominem* habuisse dicendum est; (*nisi* *representativè*;) nec enim ille poterat *acquirere omnia*, sed *quemlibet* eorum, qui *subsecuti* sunt: quibus sanè ab ipso *Creatore* *ad omnia* *facultas* patebat, ut illa quæ ante *homines* illos ab aliis *occupata* non fuerant, *acquiri* ab iisdem & in ipsorum *jus proprium* *cedere* potuerint.
18. *Flumina*, quæ aliàs ad *res publicas* referuntur, *privatos* aliquando aut *Urbes Provinciales* habere mirum non est: cum *Regalia Superioritatem Territoriale* non inferant.
19. Circà *Res Universitatis*, quarum *ad singulos* pertingit *emolumentum*, ne quidem *major pars* *disponere*, & *pascua* v. c. ad cul-

culturam redigere potest. \* Cùm verò Res Universitatis quoad proprietatem univerforum sint: ideò à refectione illarum non potest se eximere is, qui membrum Universitatis est, (uti nec ab ipsâ se potest eximere Universitate, (etiamsi *rebus illis uti non velit*; nisi etiam *Privilegio* aut *consuetudine* exemptus fuerit, aut *Pars Universitatis* ab antiquo refectionem illam *in se receperit*. Nam prout hoc *conventionis æquitatem* habet: ita per se exemptio onerum cum *justitia* distributiva non pugnat. \*\*

\* Menoch. *A. j. Q. cas. 80. n. 26.*

\*\* *Conf. Mev. P. IV. Decis. 127.*

20. *Internum MARE*, seu quod terris Gentium protensum est, *in jus proprium* dudum cessit; \* Non etiam *vastus Oceanus*: quem tamen, (utut *quoad usum promiscuum* in *communione* etiamnum perftet,) *in jus proprium* cadere posse non impedit, quòd eundem *ἀόριστον* esse, seu terminis suis non contineri, dicant: prout nec illius *immensitas* ejusdem occupationem impedire posset.

\* Sicuti & *plerumq; littora maris*: Quapropter nemo habet *usum littoris*, (saltim à populo *occupatum* fuerit: nam aliàs secus est. §. 5. *Inst. d. R. Divis. l. 1. §. 18. ff. de O. N. N.*) ne quidem si *innocius* esse videatur, sive *adificando*, sive *aliter*, *sine concessione Populi*, *in cuius imperio* non modò, *l. 3. pr. ne quid in loc. publ. l. un. C. d. Classic.* sed & *proprietate l. 50. d. A. R. D. l. 10. d. R. D. arg. l. 14. ff. d. injur.* illud constitutum est. *Zypæus lib. 2. Not. Jur. Belg. Tit. 1.* Cùm populi illius utique sit *judicium*, num *ædificatio v. c. usum communi officiat. l. 3. §. 1. ff. ne quid in loc. publ.* Etenim concessione illâ in littoribus à populo *nondum occupatis* non opus est.

21. Utique *possessio* ejus & *custodia*, ob laxitatem æstumq; *difficilis* est, atque *usus* ejus uberrimus occupationem *ferè supervacua* reddere putatur. Sed neque *impossibilis* occupatio est, neque *simpliciter supervacua* ejus occupatio: quam nec in actum traduci propterea incommodum fore arbitrer, quoniam mare opera permanentis industriae, uti terra, non capit; Nam mare cultum similem ne quidem exigit.

22. Omnino igitur *Mare* illud *externum in jus proprium* cadere posse, verior est sententia. \* Nec quisquam quò minùs istud occuparet, (si id expedire sibi videret, \*\*) excludi posset jure ab aliis. Neque enim occupaturus assensu Gentium, aut ut illæ suo in *Oceanum* jure cedant, indiget \*\*\*: cùm *dividi* necesse non sit,

B

quod

quod ratione proprietatis nunquam commune fuit; saltem  
quod pro Gentibus omnibus usum Maris innoxium\*\*\* ser-  
vari oporteat.

\* Quicquid pro Hugone Grotio, (cujus sententiam antehac Elisa-  
betha Angl. Reg. contra Hispanos, ratione maris Indici, asseruerat.  
ap. Cambden. ad Ann. 1580.) non tantum Pontanus, sed inedito  
scripto Graswynckelius, aliique, sed & Stypmannus pugnaverint.

\*\* Nam Gentibus ceteris illam occupationem, cum primis partium  
pracipuarum, ad rem nauticam valde utilem esse posse, Loccenius  
jam antè ostendit, Lib. 1. d. 7. Marit. c. 4. §. 5. & Lib. 2. c. 1. §. 6.

\*\*\* Aliter Sam. Pufendorff. Lib. I. Elem. Jurispr. Univ. def. 5.

\*\*\*\* Satis enim adhuc Dominium illud se in eo exfereret, quod  
Domini Maris ob justam causam transitu alios prohibere, vecti-  
galia exigere, delinquentes punire, & ad submitterendum vela na-  
vigantes cogere possent.

23. Res quæ ad singulos spectant simpliciter, dicuntur in bonis esse,  
idque vel in abstracto: quatenus in commercio privatorum  
esse possunt: vel in concreto, ut ad hunc illumve actu perti-  
nent. Hòc modò dicuntur in bonis esse, tum genericò sensu, ut  
in l. 1. ff. d. usu & usuf. leg. tum specificò, quâ ratione iterum  
sunt vel ex bonis, vel extra bona. Has dicimus, quæ aliorum  
sunt, ut tamen nostræ fieri possint. Illæ vel nostræ sunt, & in  
dominio nostro, vel nostræ quidem non sunt, nostrâ tamen in-  
terest eas habere. §. f. Inst. de vi Bon. Rapt. l. 2. l. 22. eod. l. 12. §.  
2. d. furt.

24. Jus autem, quod circa res habemus, duplex est IN RE & AD  
REM: quæ distinctio licet non κτὶ τὸ ῥητὸν, attamen re ipsâ  
in Jure Civ. inculcatur. l. 3. pr. ff. de O. & A. & alibi.\* Cano-  
nistæ autem Jus ad rem exfertè appellarunt, c. 40. d. præbend.  
in 6. c. 8. d. concess. præbend. in 6. cl. un. d. sequ. poss. & fruct. &  
magis aptè, quàm alii, Jus in personam. Nec enim Jus habet in  
personam, qui eam obstructam habet, quoniam ita solùm ratio-  
ne rei tenetur, & quâ debitor est. Equidem actio in personam  
dicitur (§. 1. Inst. d. Act.) quòd in personam videlicet dirigenda  
fit; at verò actio hæc æstimatur ex causâ suâ, quam jus ad rem  
conficit; non jus in personâ, quippe quod impressionem quam-  
piam indicat: nec congruum etiam fuerat, jus aliquod ad per-  
sonam nuncupare; Aptè itaque oppositum est jus ad rem juri  
in re, non tantum nudæ παρρησιασίας gratiâ.

\* ut tamen aliquando latius sumatur, ad sensum, quo ex bonis  
nostris res aliquæ esse dicuntur, præced. apb. 23. explicatum.

Jus

25. *Jus in re* vel plenum est, vel minus plenum. Plenum, rerum tum *singularium*, tum *universalium*. Illud est *DOMINIUM*, ut & *jus Dominio simile*. Hoc *HÆREDITAS*. Nam illa *in rem* actionem parit. *l. 25. §. 18. d. Pet. Her.* Est autem *Hæreditas* *jus in re*, non prout *res hæreditarias* notat, i. e. materialiter, (*l. 19. ff. de Pet. Her.*) quod facile apparet; \* nec etiam prout est *successio*, quâ ratione *jus quoddam seu facultatem moralem* significat, cujus vi ad actum secundum, seu ipsam acquisitionem hæreditatis, pervenire possumus, atque *efficienter* sumitur\*\*. Sed quatenus ipsum conficit actum secundum, atque adeo *formaliter* capitur, (*v. l. 119. & l. 178. §. 1. d. Verb. Signif.*) pro *acquisito jure universali* illorum, quæ defunctus reliquit\*\*\*.

\* nam ita etiam *sinè corpore, sinè bonis*, subsistit, *l. 50. pr. d. P. H.*

\*\* quò sensu *Juliani* definitio accipienda est, in *l. 62. d. R. J.*

\*\*\* multa enim *morte* intereunt. *l. 3. §. f. quibus modis usus. l. 196. d. R. I. l. 7. de except.* Aliqua etiam non nisi facto hæredis quæruntur. *l. 23. d. acquir. poss.*

26. Distinctum esse *Jus in re Hæreditatem* à *Dominio*\*, probata dudum est sententia. Nullum rerum *alienarum*, nullum *incorporalium* est *Dominium*; Sed tamen earum est hæreditas: unde nec in *Dominio* se fundat Actor, nec reus contra hoc excipit. Nullum est *Dominium Universitatis*, saltim non omnimodò *repræsentativæ*\*\*, & vi cujus omnia per defunctum relicta, à quolibet possessore successor consequi potest: quodque onera omnia, quæ defunctum atinebant, consequuntur: Sed *Dominium* solum est rerum *singularium*\*\*\*. Petit etiam hæres, dum res hæreditarias petit, omne *augmentum*, quod *per facta personarum* rebus *immediatè* hæreditariis accessit, idque non quâ *ex obligatione* quâpiam debentur, sed quâ pars hæreditatis sunt; adeoque *non efficienter*, sed *objectivè*: quin & ipsa ex *jure isto in re* petit debita hæreditaria, quâ scilicet debitor juris possessor est, non quâ obligatus est. *l. 13. §. fin. de Pet. Her.* Quæ quidem omnia *jus hæreditarium* diversam à cæteris speciem *juris in re* esse arguunt.

\* utut hoc quoque latius sumatur. *l. 48. pr. d. hered. inst. l. 70. §. 1. d. V. S. & l. 80. d. Leg. 2.* Sed *res ipsa vocis* significatum meritò dirigit.

\*\* Hinc licet dos etiam suò modò sit *juris universitas*, quæ *ratione objecti* plures res continere potest, indeque etiã fructus dotem augentes non minùs in ea computentur: quò circa in eadem indefinita quoque sententia valet. *l. 1. §. 4. d. dot. præleg. l. 5. d. impens. in rem dot. P. Barbof. p. 3. ad Rubr. sol. matr. n. 44.* Tamen

ultra se nec commodum nec damnum adfert, & intra orbitam suam continetur. Fr. Amajja 1. O. 1. n. 35. ita ut extinctis rebus & ipsa expiret. l. 10. pr. §. 1. de Jur. dot. Simile habetur de *peculio*, quod non minus *universitas juris* est, l. 56. d. R. V. l. 20. §. 10. de *Petit. hered.*

\*\*\* Quales etiam sunt *bona omnia*, quando titulo singulari transeunt: quod fieri posse, v. c. quoad *donationem*, ostendit *Casp. Schifordegherus Lib. 1. Tract. XIII. ad Ant. Fabrum*: item *Universitates* *objectivæ juris*, dotis, *peculii*, ut & *corporum* seu *facti*, quales homo constituit, l. 1. §. f. d. R. V. l. 30. pr. d. *Usucap.*

27. **POSSESSIONEM** ex numero *Jurium* in re non ejiceret, quòd *male* etiam *fidei* & *injustus* adeò *possessor* possideat. l. 3. §. 5. de *acquir. vel amitt. poss.* Nam licet *possessio facti* plurimum habeat, l. 19. ff. *ex quib. caus. maj. factum* tamen *quà talis* non est per *essentiam*, sed *jus*, adeoque *ratione* solùm *acquisitionis & tituli*, qui *possessioni accidentalis* est, *justa* vel *injusta* dicitur: ut verè possideat m. f. *possessor*, licet *injustè*: & *jus* habeat *possidendi* præ alio, eo ipso quòd hic non possidet. §. 6. *Inst. d. Interd. l. 1. §. ult. l. 2. uti possidet. l. f. d. acquir. poss.*

28. Verùm hæc efficiunt, quòd minùs *possessio*, *jus in re* dici mereatur: quòd *pereat possessio*, quamprimùm mihi res erepta est: quòd *perpetuum* non sit *jus illud possessionis*: quòd *actione reali à quovis detinente* *possessionem* petere non possim. l. 7. ff. de *Vi & Vi arm.* Denique quòd ea *distinctio juris in re & ad rem* non nisi ad *fundanda petitoria judicia*\* adeòque ad ea respiciat, quæ *causam perpetuam & perfectam* habent: qualia non sunt *possessoria*: quippe quæ *de facto*, non etiam *de jure tituli* comparata sunt, & ex *causa* etiam *nulla* vel *iniqua* dari possunt, dum *lex* videlicet *possidentem unicè* tuetur, usque dum de *jure* in *petitorio* constare possit, ne aliter res quàm *autoritate publicâ*, & non etiam *ausu privatò*, transeant.

\* l. 14. §. 3. d. *Except. rei jud.* ibi: *de possessione, postea in rem.* Quòd verò *Eckholtus in §. 2. adt. Pandect. d. R. D.* *possessionem* eam novâ *ratione* substituatur, quæ *Publicianam, Rescissoriam & Paulianam* fundat, à *δέμῖον* est. Nam b. f. *possessio*, ceu *factum Dominium*, ad *Dominii* speciem pertinet. *Rescissoria* *possessione* non nititur: nec *Pauliana*, quæ pro bonis etiam illis competit, quæ *ante missionem* à *fraudatore debitore alienata* sunt: Imò hæc *actio dativa* est, neque ex ullo rerum *jure* oritur, ut adeò *nec realis* sit *nec personalis*, sed solùm utrique *actionum generi* in uno alterove assimiletur.

29. **SERVITUTEM** verò è *censu jurium* in re propterea *eliminari*

nari vidimus: quòd vi illius *rem primò non vindicemus*; imò nunquam rem ipsam, sed *servitutem* rei inhærentem, propriis contendamus actionibus: perinde ac salubritas ac fertilitas, tanquam *accidentia, cum re ipsa* vindicari soleant. Ac si verò aliter rem persequar, aliã etiam *actionum cæterarum* ex jure in re, quàm quatenus *in eam* quid mihi *juris* est? Neque enim ex eo jus in re absolutè sumptum æstimatur, quòd *rem ipsam nostram* faciat, (*l. 13. §. 1. ff. de damn. inf.*) sed quòd *afficiat* eam, illamque actio minimùm sequatur: Frivolum est omninò, eandem servitutis, ac cæterorum *accidentium*, efferre naturam: Non enim, ut hæc insunt rei naturã, sic & servitus, quæ *extrinsecus* ei imponitur, & *ut jus inde sit alteri*, aut *onus*, quo ea alii, quàm ad quem res pertinet, præter naturam serviat.

\* *contra l. 30. ff. d. Noxal. act. l. 19. pr. d. damn. inf. l. 2. d. Usuf. l. 5. §. 1. si usuf. pet.*

30. Quin imò nec *jus servitutis*, nec *servitutem*, postquam sc. illi jamdum *constituta* est, *actor vindicat*; quippe quæ eidem æquè jam competit, atque ei, qui *rem corporalem ex Dominio* vindicat, ipsum competit, in quo ille se fundat, *rei Dominium*: Tantùm quòd adversus alterum contendat, ne in libero *servitutis exercitio* impediatur. Etenim servitus *prædio* dominanti *inheret*, neque *facto* adversarii amitti potest: adeò ut ipsa servitus non tantùm non *efficienter*, sed ne quidem *objectivè* vindicari dici queat: quasi videlicet, ex quorundam sententiã, inauditum in jure nostro non sit, unum idemque jus eòdem sensu & efficientem actionis & objectum ejus constituere posse\*: quod idem tamen *in hereditate*, nec non *in possessione*, æquè malè, asserunt.

\* Sanè servitus in illis locis, quos citant, non jus servitutis, sed *factum* seu *exercitium* ejus, denotat, ut *l. 9. ff. d. N. O. N. t. tit. Si servitus Vindic. l. un. §. pen. d. Remiss.* Simile de *Dominii* vindicatione dices, ad *l. 11. 14. 15. l. 23. C. d. R. V. l. 10. C. d. præd. Et al. reb. min.* Et num in hypothecariã jus pignoris, annon potiùs *res oppignorata* petitur?

31. Fuit etiam, qui Jus DOTIS peculiarem juris in re speciem conficere docuit: Equidem *Dos* nihil aliud est, quàm *res univèrsæ* in dotem datæ. *Jus autem Dotale* non unius est generis, sed modò *Dominium*, modò *Servitus*, aut *pignus*, item nomen; & hinc etiam *varias actiones* naturã suã distinctas, ut ipsa jura rerum in dotem datarum distincta sunt, producit.

32. Igitur falsum est, *Dotem esse simpliciter Jus in re*: falsum, esse

*universale*\*: falsum, esse *in re aliena*\*\* ; Indeque jus in re à cæteris *distinctum* esse oportere. Neque enim *aliena* est respectu *Mariti*, sub *quæ* illa dotis, & *quæ dos est*\*\*\*: sicuti *res hereditaria* non sunt hæreditas apud Testatorem, sunt autem apud hæredem. Nec dos etiam à *Muliere*, quoad usque dos est, *vindicari* potest, sed quando *extrà usum dotis* à *Marito constituitur*, aut aliter *oneribus matrimonii* servire desinit. Nam sic *de tractò civilis Domini* involucro simpliciter res arbitrio *Mulieris* exponitur\*\*\*\*:

\* *sc. effectutenus*: nam *objectivè* universitas esse, h. e. plures res continere potest. l. 31. §. f. sol. matrim. l. ult. §. 2. C. d. Jur. dot.

\*\* *contrà pr. Inst. quib. al. lic. vel non.* l. 7. §. 3. d. J. dot. l. 1. §. 2. pro dot. l. 22. §. 14. sol. matr. l. 13. §. 2. d. Jur. Dot. l. 75. d. J. dot. junct. l. 52. d. A. R. D. l. 49. d. V. S. l. 3. l. 53. C. d. J. dot. Utique *alienandi potestas* essentiam *Domini* non ingreditur, sed ejus *consecrativum* est, quod *Lege* etiam *vel dispositione hominis* impediri aut restringi potest.

\*\*\* *ut effectus veri Domini* arguunt. l. 7. de funDot. l. 30. C. d. J. dot. l. 9. C. d. R. V. l. 24. rer. amot. quibus *corporis* quidem *Domina* uxor, sed *dotis* *Dominus* maritus esse censetur. l. 5. pr. d. *impens. in rem dot.* quamquam & maritus illis casibus fiat *corporis* quoque *Dominus*, quò *pleno jure* res in ipsum transeunt: quibus tamen adhuc *civile* habet *Dominium*, quoad restituere *dotem* aliquando tenetur. Neq; v. *Dominium* illud *civile* dicitur, quòd *fictum* sit, sed quòd *effectus civiles* operetur: quomodo enim aliàs in *rebus æstimatis* *civile* *Dominium* posset dici consistere? si hoc *fictum* foret. d. l. 30. junct. l. 5. Cod. eod.

\*\*\*\* prout etiam res ipsius est *periculo*, quoties *Maritus speciei debitor est*, l. 10. ff. l. 12. §. 1. d. J. dot. nisi quòd *Maritus* in eadem, tanquam *restitutioni* obnoxia, *mediam diligentiam* præstare teneatur. §. l. 22 ff. d. acqu. & am. poss. Sed & *thesaurum* in *dotali fundo* repertum *Maritus* tantum tenet *revocabiliter*. l. 7. §. 12. sol. matrim.

33. *Jura in re cætera*, præter *Jus Proprietatis*\*, nullâ necessitate *Domina* dicuntur. Dicitur tamen solet *Servitutis*, *Pignoris Domini*; *Synonymicè*: prout *servitus*, item *pignus* est *Dominium*. Non autem rectè dicitur *objectivè*, ut ipsa in *Dominio* sit *servitus*\*\* . Nec officit, de *servitute* cæterisque *rebus incorporalibus*, obligatione puta, *hæreditate* &c. liberam nos *disponendi facultatem* habere. Quemadmodum enim *ex ipsa v. c. obligatione* facultatem illam procedere incongruè dicitur: Ita nec *dispositionem* eam *Dominio* cuidam rectè quis tribuerit\*\*\*, sed *arbitrio libertatis generali*, (l. 21. C. mandat.) quò *jura de suis sibi* que *affectis* statuere permittunt *civibus*.

\* Seu

\* Seu *Dominii strictè dicti*. Nam licet *Parladorius lib. 1. rer. quotid. c. 4. proprietatè* esse jus ab usufructu sejunctum existimet; tamen hoc perpetuum non est, sed alicubi etiam *proprietas plenum Dominium* significat. *l. 13. pr. d. A. R. D. l. 4. d. alim. leg. l. 2. ff. quib. m. usus. vel us. amitt.* Cæterum *usufructus* prout est *Servitus*, nihilominus *pars Dominii* est, (*l. 4. ff. d. Usuf. l. 70. §. 2. d. Fidejuss.*) non *constitutivè*, ut ad totum relata, nec *formaliter*, sed *ratione effectus, & virtutis*, quoad emolumenta, in quibus se *Dominium* exerit.

\*\* Quod enim *l. 4. in fin. si servit. pet. Dominium usufructus* appellat *Jctus*, ex defectu vocis alterius, quâ *jus Usufructus possessioni* ejus opponeret, & sic *improprie* factum est. *§. l. 15. §. 8. quod vi aut clam.* Quanquam verò *Hahnus concl. IX. de Jur. rerum.* distinctionem *Dominii proprietatis & juris* receperit, cum multis aliis; non tamè *juri* ea congruit, nec *usui* est: & multò minùs ergò *Vasallus*, item *Emphyteuta*, *Juris Dominium*, (quod *Riemenus* voluit,) sed potius *rei* habere dicendi sunt. Nam si, cum *rem Vasallus* possidet, eidem in illa *jus Feudi* negetur, non opus habet *confessoria*, sed *possessio* illi sufficiet. *§. 2. Inst. d. Action.*

\*\*\* Congruit *Joh. Roberti doctrina, lib. 3. Animadv. c. 9.* quòd *jus de re disponendi* non ex *proprietate* solùm, sed etiam *ex alia causa* competat.

34. Quid quòd simili ratione, quò *de Dominio* rei nostræ corporalis *disponere* liceat, aliud rursus fingendum *Dominium*, sicque *in infinitum* procedendum fuerit? Nam nec, ut ipsum *Dominium* in alium transferam, ex eodem est *Dominio*, sed unicè, ut *res* ex eo transire queat. Idem dicas licet in *Pignore*. Nec ubique de *juribus ipsis* decernitur, verùm de *rebus* aut *personis*, secundùm *jura*, perque ea, queis nobis devinctæ sunt. Videlicet, aliqua *jura* nobis *in re propria* (penitus sc. eam afficientia,) competunt: ut non tantùm *de jure*, sed & *de ipsa re* disponere possimus; Aliqua etiam *in aliena*: Et tùm quidem de *jure nostro*, ut de quovis alio, quod ad nos *pertinet* \*, per *libertatem communè* vel *civilem* statuimus, de *re ipsa* non item.

\* quod omne *in Dominio nostro* dicere posses, (prout etiam *nostra* dicuntur, [quæ ad nos *quolibet jure* pertinent, §. pr. *Inst. d. J. & J. §. 25. 36. Inst. d. leg. l. 76. l. 77. d. J. dot. l. 19. ff. d. Injur. l. 1. §. 3. 4. eod. l. 12. d. re jud. l. 15. d. R. l. 1. 63. §. 1. ad L. Falcid. l. 6. §. 6. q. in fr. cred. l. 44. d. cond. indeb.] si cum larvis contendere, & non potius *rerum naturam & differentias* accuratè expendere animus esset.*

35. Sanè *libertas* ea *ex permissione Legum* pendet. Cur enim aliàs *Patria potestas* non est *patrimonialis*, & in *Dominio*? Quæ tamen ad *excludendum alios*, ab *usu potestatis* ejusdem generis,  
con-

conducit. Deniq; per *vindicationem*, non aliquod *Dominium*, quod in servitute tanquam objecto residere dicitur, sed ipsam mihi *servitute*, quæ jure penes me est, assero. Et quod ad *obligationem*, si illa foret in *Dominio*: Num etiam ex hoc orietur *obligationis vindicatio*? Absolutum!

36. *JUS AD REM personam* afficit. \* Illô positô, ponitur *obligatio*, & vicissim. l. 137. §. 4. ff. d. V. O. Relata enim nt, quod malè negat *Nonnemo* \*\*. Ita qui bonis cedit, obligatus manet, ejusque creditores jus quoque ad rem habent, licet absque effectu, æquè ac effectu vacua est *obligatio*. §. ult. Inst. d. Action. l. 6. ff. d. Cess. bon. Cæterùm eô ipsô, quo *relata* sunt jus ad rem & *Obligatio*, *Synonyma* non sunt. Non est *obligatio* in creditore, siquidem ille non adstringitur. *Vinculum* quidem est inter duos, sed quod solùm debitorem liget. Non minùs etiam falsum est, quod *Alius* docet, jus ad rem *effectum* esse *Obligationis*. Nam ex *obligatione* oritur actio cum respectu passionis, sed quæ actio est, ex jure ad rem oritur. Sic ergò *obligatio* nunquam existit in creditore, ut quidem in eo jus ad rem reperitur.

\* Hinc malè *obligationem ex Dominio* oriri docet H. Grotius Lib. II. d. Jur. B. & P. c. 10. Equidem ex *Dominio non res nobis debetur*, sed ex Legis præcepto *restitutio*: arg. l. 82. ff. d. V. O. indeque non jure *Obligatio*, sed *actionis*. Suum enim esse & deberi, manifestò sibi opponuntur. l. 27. §. 2. l. 34. pr. ff. d. aur. & arg. leg. Ex instituto turbat H. Grotius: quem idcirco non excusat *impropria crediti acceptio* in l. 178. §. fin. d. V. S. cum *similib.*

\*\* ex Recentioribus. Iterum hîc quoq; impingit H. Grotius Lib. II. c. XI. §. 3. Falsum scil. est, quempiam posse dici *obligatum* esse, ut nullum jus ponatur in alio. Utcunque hoc quandoque *imperfectum* sit. Quòd si verò coram DEO, item Reipubl. obstricti simus, plenum utique Deo, plenum Reip. jus adversum nos competere dicendum est; non obstante, si debitum istud per Magistratum rigidè fortassis non exigeretur.

37. Datur aliquando *jus ad rem* absque omni factò: ut in actione ad exhibendum; Aliquando factò quidem interveniente, sed tanquam *conditione sine quâ non*: ut in *conditione furtiva*. Utrobique *immediatè ex Lege*: quò ipsô actiones *nativæ* ac verè *personales* quoad causam efficientem non sunt; licet sint quoad reliqua, ut non quoad hæc etiam in omnibus, ceu ex actione *Pauliana* liquet.

F I N I S.

00 A 6430

ULB Halle 3  
002 927 993





f

sb.

VD 17







27.

DIVINA FAVENTE GRATIA,  
*De*  
**JURE RERUM,**

PRÆSIDE  
VIRO

*Magnifico, Præ-Nobilissimo atque Consultissimo,*

**DN. NICOLAO CHRIS-  
TOPHORO LYNCKERO:**

**J**Cto & Antecessore Famigeratissimo,  
Sereniss. Ducum Saxon. Consiliario Splendidissimo, Facul-  
tatis Juridicæ Seniore, Curiaë item Provincialis ac Sca-  
binatus Assessore Gravissimo:

*Dn. Patrono, Præceptore ac Hospite suo  
aternaturo obsequio prosequendo,*

*publicè in Auditorio Jctorum,*

*die IX. Novembr.  
disputabit*

**BERNHARD. LUDOVIC. MOLLENBEC,  
RINTELIO-WESTPHALUS.**

---

*JENÆ,*  
**TYPIS SAMUELIS KREBSI,  
A. O. R. M. DC. LXXVIII.**

